

*Exemplum* vitiosum est, si aut falsum est, ut reprehendatur; aut si improbum, ut non sit imitandum; aut si majus, aut minus, quam res postulabit.

*Res judicata* vitiose profertur, si aut dissimili de re proferatur; aut de ea re, qua de controversia non est; aut si improba; aut ejusmodi, ut aut plures, aut magis idoneae res judicatae ab adversariis proferri possint.

Item vitiosum est, quod adversarii factum esse confiteantur, de eo argumentari, et planum facere factum esse. Nam id tantum augeri oportet.

Item vitiosum est, id augere, quod convenit doceri, hoc modo: ut si quis quem arguat, hominem occidisse, et antequam satis idoneas argumentationes attulerit, augeat peccatum, et dicat, nihil indignius esse, quam hominem occidere. Non enim, utrum indignum sit, an non, sed factumne sit, quaeritur.

*Comp'lexio* vitiosa est, quae non, ut quodque primum dictum est, primum complectitur, et quae non breviter concludit, et quae non ex enumeratione certum et constans aliquid relinquit, ut intelligatur, quid propositum in argumentatione sit, quid deinde ratione, quid confirmatione, quid tota argumentatione demonstratum.

Rhet. I. Cap. XLVIII. Saepe obscurius vitium pro vero probatur, quum aut parum memineris, quid concesseris, aut ambiguum aliquid pro certo concesseris. *Ambiguum* si concesseris ex ea parte, quam ipse intellexeris, eam partem si adversarius ad aliam partem per comp'lexionem velit accommodare: demonstrare oportebit, non ex eo, quod ipse concesseris, sed ex eo, quod ille sumserit, confici comp'lexionem, ad hunc modum: *Si pecuniae indigetis, pecuniam non habetis; si pecuniam non habetis, pauperes estis. Indigetis autem pecuniae; mercaturae enim, nisi ita esset, operam non daretis. Pauperes igitur estis.* Hoc sic reprehenditur: Quum dicebas: *si indigetis pecuniae, pecuniam*